



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Dispytatio LXI. De Adoratione Christi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

# DISPUTATIO SEXAGESIMA PRIMA.

## De Adoratione Christi.

### SECTIO PRIMA.

#### Pramittuntur quedam circa naturam Adorationis.

I.  
Adoratio in  
quo differat  
ab honore.



**A**DORATIO hoc ab honore differt, quòd superior honorare inferiorem possit, & Deus hominem, adorare autem non possit; adoratio quippe ex conceptu suo est nota venerationis ac submissionis internæ erga personam quam adoramus ex apprehensione excellentiæ in ipsa repertæ: honor verò est nota excellentiæ sine submissione. Adoratio itaque licet interdum cultum soli Deo debitum significet, tribuitur tamen etiam nonnunquam creaturis, unde Bersabee dicitur adorasse Davidem, quod & in aliis contigisse constat. Hæc tamen duæ adorationes longissimè inter se distant, & plusquam specie differunt; altera enim latria seu *θεοπροσκυνησις* dicitur; altera *δουλοπρωσκυνησις*, seu cultus creaturæ debitus.

II.  
Quid adora-  
tio requirat  
ex parte in-  
tellectus,  
quid ex par-  
te voluntatis.

Ad adorationem itaque ex parte intellectus ordinariè requiritur apprehensio excellentiæ, ex parte voluntatis volitio submittendi se alteri, tandem requiritur nota submissionis, & in hoc ultimo sita est adoratio. Hinc infero cum Patre Lugo Disput. 23. sect. 2. contra Suarez hic, Disput. 51. sect. 1. & 2. & Vasquez Disput. 95. num. 18. actum externæ adorationis sicte exhibitum sine apprehensione excellentiæ, esse veram adorationem, ut si quis fidem interiùs servans incensum offerat idolis. Ratio est, quia adoratio est signum internæ submissionis, ad hoc autem non requiritur ut verè sit in animo interna submitio, sicut cum quis dicit se videre vel intelligere quod nec videt nec intelligit, propositio illa vocalis est tam signum illius, atque si verè videret & intelligeret.

III.  
Si quis ta-  
men irriso-  
riè genu ante  
idolum  
flecteret,  
non esset  
adoratio,  
sed contemp-  
tus.

Dices primò: Ergo si quis irrisoriè ante idolum genu flecteret, illudque hoc modo adoraret, esset vera adoratio. Nego consequentiam, quia ex modo quo fit, sufficienter ostenditur non esse signum internæ adorationis, sed potiùs contemptus.

IV.  
Obiic. Si  
non sit sub-  
missio inter-  
na, signum  
illud est fal-  
sum, ergo  
non est vera  
adoratio.

Dices secundò: Submitio illa externa est signum submissionis internæ, ergo si non sit submitio interna, hoc signum est falsum, cum significet id quod non est; ergo non est vera adoratio. Distinguo primum consequens: ergo hoc signum est falsum, id est, non est conforme rei signatæ, concedo; non participat veram rationem signi,

& negatur ultima consequentia; ad veram enim adorationem sufficit quod sit signum submissionis internæ, sive illa adsit, sive non; quis enim alterum intuetur seridò quoad externam operationem idolo incensum offerentem, æquè existimabit ipsum habere actum submissionis internæ, ac si verè illum haberet.

Quæres: Utrum ad adorationem requiratur actus aliquis externus, an compleri adoratio possit ad intra. Magna hæc est controversia inter P. Suarez & Vasquez, quorum hic affirmat requiri semper actum externum, ille negat, quod videtur probabilius: primò & à priori, quia adoratio definitur, *submissionis erga aliquem nota*, nulla autem est ratio cur non possit dari interna nota submissionis, æquè ac externa. Confirmatur: sicut namque homines verbis externis sibi invicem loquuntur, ita Angeli loquuntur internis conceptibus, quare ergo sicut verbis externis possumus Deum adorare, quod frequenter facimus, dum dicimus *Adoramus te Christe*, &c. non etiam poterimus id præstare internis.

V.  
Quæres:  
dicitur ad  
adorationem  
nec esset  
actus aliquis  
externus.

Secundò probatur: Sæpè in Scripturâ sacrâ dicuntur homines in spiritu adorare Deum, qui & veri adoratores à Christo vocantur Joannis 4. ergo non requiritur externa aliqua operatio. Confirmatur: Angeli in suâ republicâ potuissent se adorare, & cultum sibi invicem exhibere, quod quamvis Vasquez neget, videtur tamen ad perfectè institutam rempublicam, qualis illa fuisse Angelorum, omnino spectare. Difficiliter etiam intelligitur quomodo signo aliquo externo fieri possit, quod alii volunt. Confirmatur secundò: Hinc enim sequeretur hominon, qui usum membrorum sui corporis non haberet non posse Deum adorare. Cum ergo dari possit interior nota submissionis sicut exterior, non est cur ad adorationem requiratur actus externus.

VI.  
Homines in  
sacris Literis  
dicuntur in  
spiritu ad-  
orare Deum.

Quæres secundò: Quis sit actus ille internus, in quo consistit adoratio. Respondetur, univèrsim illum esse, qui est nota seu testificatio submissionis, sicut adversarii dicere debent non quamvis actionem externam esse adorationem, sed illam, quæ vel ex naturâ suâ, vel hominum institutione est nota submissionis internæ, alioqui per ambulationem, aut studium, posset quis alterum adorare. In particulari verò decidi hæc quæstio debet secundum diversas in materiâ de Angelis sententias, qui enim dicunt locutionem internam consistere in actu intellectus, dicent similiter hanc notam submissionis in eodem consistere; qui verò locutionem hanc statuant actum voluntatis dirigentem conceptus ad alios, dicent

VII.  
In quo actu  
sua sit inter-  
na adoratio.

consequen-

consequenter adorationem internam in eo consistere. Quam quaestionem fusè discussi Tomo praecedente, disputatione septuagesimâ quintâ.

**VIII.**  
*Adoratio est actus religiosus.*  
Quaeres tertio: Cujus virtutis actus sit adoratio? Respondetur, esse actum religionis, cum particulari modo spectet ad cultum Dei. Et quamvis imperari possit à charitate, non tamen est actus charitatis, sicut nec conculcatio imaginis crucifixi ex odio Dei est actus odii, sed sacrilegii. Ratio verò cur actus religionis non sint actus Theologici est, quia non feruntur immediatè & formaliter in Deum ut in objectum formale, sed in honestatem peculiarem illorum actuum, ut latius diximus in materiâ de Fide, Spe, & Charitate.

**IX.**  
*Divisio adorationis in Latrîam, Douliam, & Hyperdoulîam.*  
Dividitur adoratio in *Latrîam*, quæ est cultus tributus Deo, *Douliam*, quæ Sanctis, & *Hyperdoulîam*, quæ est cultus ob singularem sanctitatem conferri solitus Beatissimæ Virgini exempli gratia. Pater Vasquez disp. 99. num. 18. ait ne analogicè quidem de his tribus dici adorationem. Videtur tamen probabilius de iis dici etiam univocè, nec enim huic obstat distantia objectorum, sic enim nec visio aut amor Dei, & creaturæ convenirent univocè, cum tanta hic sit distantia objectorum. Id verò notandum, quando tribuitur cultus latrîæ Deo ob diversâ ejus attributa, licet moraliter loquendo cultus sit ejusdem rationis, cum omnia Dei attributa sint inter se æqualia, & realiter identificata cum essentiâ, metaphysicè tamen loquendo, cultus ille latrîæ, quo adoratur Deus ratione sapientiæ est diversus specie ab illo, quo adoratur ratione justitiæ, & sic de aliis.

SECTIO SECUNDA.

De adoratione Humanitatis Christi.

**I.**  
*Possitne Christi humanitas adorari cultu Latrîæ.*  
**Q**UESTIO est, Utrùm adorari possit *Latrîa*? Non ita ut ratio ipsa formalis, ob quam adoratur, sit ipsa humanitas, hoc enim certum est fieri non posse, sed utrùm humanitas ut *quod* adorari possit latrîâ, etsi non ut ratio formalis propter quam adoratur. Supponimus enim Christum hominem adorari posse latrîâ, cum hoc de fide sit, & in Conciliis non semel definitum. Ratio etiam evidens id convincit, Christus enim realiter est Deus, & consequenter ratione suppositi non est dubium quin debeatur ipsi cultus divinus.

**II.**  
*Possit Christi humanitas adorari Latrîâ, simul cum Verbo.*  
Dicendum primò, humanitatem Christi adorari cultu latrîæ simul cum Verbo posse, ita scilicet ut idem numero actus latrîæ feratur in totum Christum, ratio tamen formalis cur hoc modo adoratur, non est humanitas, sed Verbum. Ita Suarez disp. 53. sect. 2. Lugo disp. 34. sect. 2. Vasquez disp. 95. cap. 2. aitque esse de fide, & definitum in Concilio Alexandrino, estque frequens loquendi modus apud Sanctos Patres, utpote quem usurpat S. Damascenus, S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Leo, & alii.

**III.**  
*Eadè veritas probatur ex Concilio Tridentino.*  
Probatur primò ex Concilio Tridentino, quod sessione 13. cap. 5. & canone 5. definit Eucharistiæ Sacramentum adorandum esse *latrîâ*, ergo non solum Christo, sed speciebus etiam exhibetur illa adoratio, cum Christus solus non sit Sacramentum, ergo cum humanitas non minus con-

stituat unum totum cum Verbo, quàm Species panis cum Christo, non minus ratione Verbi adorari poterit, & debet humanitas partiali adoratione *Latrîæ*, quàm in Sacramento species. Confirmatur exemplo, quo uti solebat S. Cyrillus, quia sicut totus homo adoratur cultu Dulciæ, ita ut cultus ille feratur non ad animam solum, sed corpus, ratione tamen solius excellentiæ in animâ residentis, ita & totus Christus etsi ratione excellentiæ in solo Verbo existentis.

Notandum verò, quamvis idem actus adorationis terminetur in hoc casu ad humanitatem & Verbum, diversâ tamen ratione, ad Verbum enim terminatur hæc adoratio propter excellentiam suam, ad humanitatem verò propter excellentiam Verbi: unde humanitas non dicitur per hunc actum adorari simpliciter, sed coadorari, Verbum autem & Deus dicitur simpliciter, & per se adorari, quia adoratur omnino independentè ab ullâ excellentiâ non propriâ. Diverso tamen modo adoratur hic humanitas, quàm imago Christi, licet enim excellentia Verbi non sit eo modo propria humanitatis, quo est propria Verbi, verè tamen est excellentia humanitatis per veram & physicam illius unionem in eodem supposito, per quam constituit perfectissimè unum cum Christo. Quod si quis propterea nolit esse *Latrîam*, quia non terminatur ad humanitatem propter ipsam humanitatem, sed Verbum, quaestionem fecerit de nomine.

Et hoc sensu intelligendi sunt S. Damascenus, Sanctus Epiphanius, & alii nonnulli ex Patribus, dum negant humanitatem Christi adorari *Latrîâ*; solum enim volunt, non eodem modo exhiberi cultum humanitati quo divinitati, sed huic per se & simpliciter, illi ratione hujus, & cum hac conditione implicitâ, nempe quamdiu fuerit pars hujus suppositi. Eundem tamen cultum quoad substantiam non negant humanæ Christi naturæ & divinæ simul exhiberi.

**VI.**  
*Videtur etiam posse sacrificium unâ cum Verbo offerri.*  
Quaeres: Utrùm etiam sicut humanitas Christi partialiter adoratur unâ cum Verbo, ita partialiter etiam illi offerri possit sacrificium unâ cum Deo. Negat Vasquez disp. 96. num. 61. Probabilius tamen videtur, quod asserit Pater Suarez disp. 52. sect. 2. nihil in hoc reperiri implicantiæ.

Dices cum Vasquez citato, Sacrificium Deo offerri in testimonium supremæ illius potestatis & dominii, & in quantum est Auctor vitæ & mortis, hæc autem humanitati non competunt, ergo. Respondetur: Licet quidem hæc humanitati non competant, sicque per se & sigillatim offerri illi sacrificium non possit, nil tamen vetat quo minus offerri sacrificium possit toti personæ, ut agnoscamus potestatem, quam habet ratione unius partis, ut hic contingit in Christo.

Dicendum secundò cum Sancto Thoma q. 29. art. 2. posse humanitatem, consideratam cum excellentè gratiâ habituali, & aliis dotibus supernaturalibus, adorari dulciâ, vel potius hyperduliâ, ob eximia dona, quæ in se continet. Hæc conclusio est contra Vasquez loco citato, qui eam acerrimè impugnat: Sed probatur, nil enim impedit quo minus concipi possit Christi humanitas cum solis donis creatis; esto enim revera sit unita Verbo, mente tamen concipi potest sine illo, sicut & Verbum sine humanitate, vel materia sine formâ, aut anima sine corpore, euitamen de factò est unita, sed humanitas sic considerata non est apta adorari alio cultu, quàm hyperdulciâ,

**III.**  
*Diverso modo terminatur hic actus ad Verbum, & ad humanitatem.*

**V.**  
*Quo sensu dicant nonnulli ex Patribus, humanitatem Christi non esse adorandam Latrîâ.*

**VI.**  
*Videtur etiam posse sacrificium unâ cum Verbo offerri.*

**VII.**  
*Quamvis humanitas non habeat supremum dominium, tamen personæ offerri potest sacrificium.*

**VIII.**  
*Sub aliquâ ratione adorari humanitas Christi potest Douliâ, vel Hyperdoulîâ.*

hyperdulie, ergo. Confirmatur primò: Potest Christus amari & laudari ob illa dona, cur ergo non etiam adorari. Confirmatur secundò: Sanctis ob dona gratie & glorie debetur cultus *dulie*, quidni ergo & Christo cultus *hyperdulie*.

**IX.** Hoc quidem speculative verum est, practice tamen & moraliter, ut notat Suarez, raro contingit, cum persona quavis ut plurimum maximo cultu ex omnibus sibi debitis adoranda sit. Si tamen quis distinguere norit has duas excellentias, poterit utroque modo Christum adorare: sicut illi, qui esset simul Rex & Comes, posset quis in testimonium utriusque dignitatis honorem utrique dignitati congruum exhibere, & duobus donis distinctis utrumque in eo titulum agnoscere, nec tribuendo illi honorem Comitum, negatur honor Regis. Sic etiam quando Deum adoramus non tenemur semper ob omnia illius attributa cultum ei præbere, sed præcendimus unum attributum ab alio, & non semper cogitamus de perfectissimo, nec ob illud venerationem Deo exhibemus, quod tamen nulli vertitur vitio.

**X.** Dicendum tertio, adorationem illam, quæ coleretur humanitas, etiam propter sanctitatem increatam, quam sibi habet unitam, non esse perfectissimam *Latriam*, sed imperfectam. Ratio est, quia non sufficit ad perfectam adorationem *Latria* ut adoretur res aliqua propter summam Dei excellentiam, quam habet quocumque modo, sed modo omnium perfectissimo, nempe per identitatem, & necessariò, quod tamen humanitati non competit.

**XI.** Ratio autem ulterius est, quando enim adoratur humanitas propter unionem ad Verbum, licet quidem excellentia Verbi sit ratio impulsiva, propter quam movemur ad hunc cultum humanitati præstandum, Verbum tamen ibi verè & propriè non adoratur: sicut quando adoramus Sanctos ob gratiam & gloriam, non adoramus ipsam gratiam aut gloriam; cum ergo *Latria* sit cultus Deo datus, hæc adoratio non potest esse propriè *Latria*.

**XII.** Dices: Concilia definiunt Christum unam tantum adorationem adorandum esse, nos autem plures ei adorationes tribuimus, ergo adversamur Conciliis. Respondetur, solum docere Concilia non quacumque ratione consideratum, sed secundum Personam unam tantum adorationem colendum esse, non duabus, ita scilicet ut una adoratio ad Christum spectare videatur, altera ad Verbum, hoc enim saperet errorem Nestorii: quoad naturam tamen quinta Synodus docet non necessariò esse unam adorationem adorandum, ne aliquo modo confundi videantur naturæ. Respondetur secundò, non obstante hac definitione Concilii, certum esse posse Verbum per se adorari non adorata directè humanitate, ergo solum volunt Concilia non ita esse duas adorationes, ut una terminetur ad Verbum, alia ad Christum, quasi Verbum non esset de intrinseco conceptu Christi.

**XIII.** Circa adorationem Deiparæ debitam, cum in gratiâ & dotibus supernaturalibus Sanctos, non singulos tantum, sed omnes simul sumptos, ut asserunt Theologi, longo superet intervallo, peculiarem etiam cultum, quem *hyperduliam* vocant, sibi vendicat. Quæ etiam cultus eidem ut Mater Dei est, debetur, cum *Latria* soli Deo debeatur. Quod verò asserunt hæretici contra cultum Virginis auctoritatem Sancti Epiphanius reprehendentis quasdam mulierculas, quæ ima-

ginem Virginis circumferebant, & liba ei ac alia dona offerebant, solum eas hoc nomine reprehendit Sanctus Epiphanius, quod sacrificium illi offerre viderentur.

SECTIO TERTIA.

De cultu sanctarum Imaginum.

**N**ON licitum tantum, sed sanctum esse imaginum sanctarum usum, contra nostri temporis hæreticos, tota testatur antiquitas. Probatur primò duabus imaginibus à Christo ipso efformatis, alterâ ad Abagarum Edesse Regem missâ, cujus meminit Sanctus Damascenus, & alii auctores antiqui, alterâ tempore passionis in syndone efformatâ, quarum utraque hodie Romæ asservatur. Sanctus item Sylvester Constantino ostendit imagines Sanctorum Petri & Pauli, quas apud se servabat. Præterea Sanctus Lucas varias Christi & Beatissimæ Virginis imagines pinxisse antiquissimi referunt Auctores: Ac proinde hoc tantâ auctoritate firmatum est, ut refragari citra temeritatem nullus possit.

Objiciunt hæretici nostri verba illa Scripturæ sacræ Deuteronomii 4. & 5. *Non facies tibi sculptile*, ergo non est licitus imaginum usus. Pater Suarez cum aliis viris doctissimis negat fuisse à Deo prohibitas quascumque imagines, sed idola tantum, & falsorum Deorum simulacra; alioqui non esset licita quarumcumque imaginum efformatio, quod aperte falsum est. Vaquez tamen ob summam illius populû ad Idololatriam propensionem, quocumque imaginum ad cultum aptarum efformationem fuisse illis hominibus prohibitam existimat: ait tamen hoc præceptum ceremoniale tantum fuisse, sicque in lege gratiæ unâ cum reliquis ceremoniis fuisse abrogatum. Imò à Deo etiam tempore legis scriptæ fuisse in hoc præcepto dispensatum constat, cum duos Cherubinos juxta arcam poni præceperit, & serpentem æneum à Moysè in deserto confici, ergo sicut tunc licuit Moysi serpentem illum, qui erat typus quidam Christi erigere, quidni nobis Christi imagines efformare & custodire licebit.

Nec Christi tantum & Sanctorum, sed Dei ac Trinitatis imagines efformare licet, cujus contrarium etsi Catholici nonnulli olim tenuerint, nunc tamen, saltem sine temeritate sustineri non potest. Probatur primò ex septimâ Synodo, actione 5. ubi approbatur imago Spiritus Sancti instar columbæ efformata, quod in eâ specie aliquando apparuisset: cum ergo Deus in formâ corporeâ subinde sese hominibus ostenderit, non est cur etiam in formâ corporeâ depingi non possit. Deinde quamvis Deus corpus & diversas illius partes non habeat, variæ tamen humani corporis partes illi ad exprimendas illius perfectiones in sacris literis ascribuntur, quidni ergo humanâ specie exptimi per imaginem eo modo poterit, quo per verba in Scripturâ sacrâ exprimitur.

Uterius dicendum contra hæreticos, non solum asservari imagines licitè posse ad inducendum nos in memoriam Dei, & Sanctorum, sed ita ut cultus etiam aliquis iis exhibeatur. Hoc in primis probatur ex veteri testamento, ubi rebus quibusdam inanimatis, eò quòd peculiari modo Deo sacræ erant, cultus & adoratio exhiberi jubebatur, ergo non est cur imagines Dei, & Sanctorum

*Pract. à tam in & moraliter, hoc respectu humanitatis Christi raro contingit.*

*Adoratio quæ coleretur Christi humanitas ob sanctitatem increatam, non esset perfectissima.*

*Quando humanitas Christi adoratur propter unionem ad Verbum, Verbum per actum illum propriè non adoratur.*

*Quo sensu docent Concilia Christum unam tantum adorationem esse adorandum.*

*Cum Beatissima Virgo alios omnes Sanctos in gratiâ longo superet intervallo, meretur cultum omnium præferentem.*

*I. Non licitus silium, sed etiam factus est sanctarum imaginum usus.*

*II. Objic. illud Deuteronomio: Non facies tibi sculptile.*

*III. Temerariè nunc esset negare posse Dei ac Trinitatis imagines efformari.*

*III. Licet asservantur imagines, ut cultus iis aliquis exhibeatur.*

Sanctorum adorari similiter non possunt, antecedens probatur ex illo Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum ejus quoniam sanctum est*, & Psalmi 131. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*; quæ de arcæ testamenti intelliguntur: præterea mensæ propositionis tabernaculo, & aliis peculiarem quandam cultum exhibitum à Judæis fuisse asserit S. Damascenus, & septima Synodus actione tertiâ.

Ratio autem hujus est, quia lumine naturæ notum est non solum personam in honore positam eum honore tractandam esse, sed res etiam omnes, quæ peculiari modo eam referunt: sic in naturalibus imaginibus Regum, ac thronos honorificè tractant homines; quis ergo sanæ mentis hoc Sanctorum imaginibus exhiberi posse neget, cum Sancti non solum Reges sint, utpote qui regnum cælorum possident, sed Regibus omnibus mundanis multò excellentiores, pro majori autem & diversâ excellentiâ major & diversus honor debetur. Confirmatur: Ob respectum erga Regem nulli unquam licuit impunè illius imaginem conculcare, & injuriâ afficere, ergo à fortiori fas non erit Sanctorum imagines hoc modo tractare; quare ergo, sicut ob respectum erga Sanctos tenentur omnes ad abstinendum ab injuriis eorum imaginibus inferendis, non etiam iisdem possunt cultum aliquem Sanctorum intuitu exhibere, sicut enim injuria in imaginem redundat in Sanctum, ita & honor.

V.  
Non persona tantum in honore posita, sed res etiam ad personam illam spectantes eum honore sunt tractanda.

VI.  
Quæres quomodo adorari possint imaginis?

VII.  
Imagini propter se nullum exhiberi cultum potest.

VIII.  
Submissio interna est duplex.

Controversia est inter Auctores de modo, quo adorari possint imagines; utrum nimirum imagines per se sint adorandæ, an solum cum exemplari, & propter ipsum, quam quæstionem accerrimè disputant Suarez & Vasquez, ille enim cum Bellarmino, & aliis docet imaginem per se coli posse cultu aliquo, & adoratione inferiori cultui illi, qui per se & directè exhibetur exemplari, Vasquez verò & alii nolunt adorationem internam & submissionem ullo modo ferri ad imaginem ipsam, sed ad solum prototypum, ita ut quia concipiendo excellentiam in prototypo cui vult se submittere, & apprehendens aptum modum significandi hanc suam subjectionem erga prototypum esse, ut osculetur ipsius imaginem, de factò hanc ei reverentiam exhibet.

In primis in confessio est apud omnes imaginem propter se nullum cultum exhiberi posse, sed solum intuitu exemplaris; nec enim lapis & lignum quidquam in se habent, ob quod solitariè & absolute sumpta exhiberi illis cultus debeat. Unde non potest adorari imago, quin eodem actu adoratur etiam exemplar: cujus ratio ulterior est, quia adoratio secundum omnes est pars justitiæ, unde se conceptu suo tendere debet ad solvendum id quod alicui naturæ rationali debitum est. Licet ergo, quando adoratur imago simul cum exemplari, actus ille adorationis, prout terminatur ad imaginem, non sit actus justitiæ respectu illius, cum erga lignum aut lapidem justitia esse non possit, semper tamen actus adorationis internus est actus justitiæ respectu alicujus.

Ad quæstionis itaque resolutionem notandum, submissionem internam, cujus nota est adoratio externa, esse duplicem: prima & præterea, qua agnoscimus rem aliquam esse nobis digniorem, & excellentiorem, cui proinde nos verè subjicimus, & illi inferiores nos agnoscimus, hunc autem cultum nullus prudenter habere potest imaginem, cum nullus prudenter existimare possit rem inanimatam se esse digniorem. Alia autem est submissio, qua licet non velit quis agnoscere ali-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

quid esse se præstantius, vult tamen intuitu alterius dare illi meliorem locum, aperire caput, tractare honorificè, &c. sicut etiam homines subinde æquales sese invicem honoris causâ tractare solent.

Hoc ergo posito non videtur dubium quin aliqua etiam interna adoratio terminetur ad imaginem, & non ad solum exemplar, quando enim quis cultum illum externum, ut apertionem capitis, genuflexionem, exosculationem, &c. exhibet imaginem, licet quidem id totum præstet intuitu exemplaris, verè tamen vult cultum illum exhibere imaginem, cum habeat voluntatem actionem illas externas dirigendi ad imaginem. Confirmatur: Alioqui non verè adorarentur imagines, quas tamen verè & propriè adorandas esse docet septima Synodus.

Dices: Sufficit quòd fiat genuflexio coram imagine, ad hoc ut dicatur imago adorari. Contra, etiam sit coram pariete, & tamen non adoratur paries, & si in eadem imagine pingantur aliqui non digni honore, ut milites crucifigentes, vel dæmon tentans Christum, quæro cur potius Christus adoretur, quam illi, cum genuflexio æqualiter fiat coram omnibus, ergo peculiaris ordinatio voluntatis requiritur ut actiones illæ externæ referantur potius ad unum objectum & rem representatam, quam ad aliam, sed hæc non est cur non sit aliqua submissio, & adoratio interna, ergo.

Dices secundò, docere Concilia imagines non adorari in spiritu, ergo non debet interna adoratio ad eas dirigi. Respondeo, per adorationem in spiritu intelligere Concilia adorationem illam, quæ volumus aliquid alteri significare, quæ solum intervient in naturâ spirituali, & intellectuali, imaginem verò adoramus tantum cultu quasi materiali & inanimato, quicquid enim significare volumus, non intendimus significare imaginem, sed exemplari, ratione cujus adoramus imaginem, sicque respectu illius tantum est actio illa adoratio in spiritu. Secundò dici posset, ideo respectu exemplaris tantum, non imaginis, vocari à Patribus adorationem in spiritu, quia respectu illius tantum solvitur id quod est justitiâ debetur, quod in imagine deficit, cum non sit natura spiritualis, intellectus, & capax actus justitiæ.

Dices tertio cum Vasquez cap. 14. affirmare Patres cultum illum non imaginem, sed exemplari esse exhibendum; & ut alios omittam, quos fuse affert Vasquez, luculenta præ cæteris sunt verba Sancti Augustini lib. 3. de Doctrinâ Christianâ cap. 9. ubi ait: *Qui verò veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videt, & tangit, sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt.*

Respondetur, certum esse hos Patres non ita intelligendos, ut velint imaginem non adorari, cum contrarium definiatur in Conciliis, unde nec hoc affirmat S. Augustinus verbis proximè citatis, sed solum dicit potius, seu magis principaliter adorari exemplar, cujus intuitu hæc omnia fiunt. Solum ergo volunt Patres non adorari imagines adoratione absolutâ, seu propter se, sed tantum respectivâ, & propter exemplar, hæc verò adoratio tantum distat ab absolutâ, quæ exhibetur exemplari, ut comparatione illius vix censetur adoratio: sic qui alterum amat amore concupiscentiæ, esto verè illum amet, dicitur tamen se amare non amicum.

IX.  
Aliqua interna adoratio terminatur ad imaginem.

X.  
Ad hoc ut imago dicatur adorari non sufficit quòd coram ea fiat genuflexio.

XI.  
Quid velint Concilia, dum dicunt imagines non adorari in spiritu.

XII.  
Obi. affirmare Patres cultum illum non imaginem, sed exemplari esse exhibendum.

XIII.  
Resp. non ita intelligendos esse Patres, ut negent cultum esse exhibendum imaginem.

XIV. *Potest quis se aliquam ratione submittere prudenter inter dum rei inanimata.*

Dices quartò: Est quo præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ, imago cum sit inanimata, & rationis incapax, est etiam incapax adorationis seu submissionis, quis enim lapidi se prudenter submittat. Nego antecedens: Potest enim homo aliquo modo se prudenter submittere rei inanimata, non quidem propter se, ut aiunt, sed propter aliud. Urgebis: Ergo potest quis servum se profiteri imaginis. Nego consequentiam: Tantum enim vult se illi submittere quoad actus aliquos externos, quos tamen imagini intuitu exemplaris exhibendo, solum dicere volumus exemplar ipsum esse dignum quod tractetur honorificè, & nobis præferatur. Quod confirmatur, quando enim adoramus Christum, adoratio illa non ad solam Christi divinitatem terminatur, sed etiam ad carnem, & illi etiam nos submittimus, licet in se sit res quædam irrationalis.

XV. *Imago, quævis sit rei inanimata, est tamen incapax aliquis cultus interni.*

Dico itaque, posse imagines vero aliquo cultu adorari, etiam interno, respectivè tamen & in ordine ad exemplar. Nec refert imaginem, cum natura rationalis non sit, non esse capacem injuriæ, sic enim etiam dicimus non esse capacem adorationis in spiritu, ut vidimus, seu ut adoratio est actus justitiæ, quæ alicui id solvimus quod ei ex justitiâ debetur, hoc enim modo solum exhibemus cultum exemplari. Secundariò tamen, si non injuria, saltem contumelia aliqua infertur etiam imagini.

XVI. *Hic cultus imagini exhibitus nec est perfecta latria, nec dulia, sed imperfecta juxta diversitatem exemplaris.*

Quæres: Quis sit hic cultus, quem exhiberi dicimus imagini? Nec enim videtur Latria, cum hæc soli Deo debeatur, nec Dulia, hæc enim solis datur Dominis. Respondetur, nec perfectam esse Latriam, nec Duliam, sed imperfectam & secundariam juxta diversitatem exemplaris. Quare vocari potest Latria materialis, si sit imaginis Christi aut Dei: quo sensu ait Sanctus Thomas Crucem adorari Latriâ. Unico ergo actu adoratur imago & exemplar, sed inæqualiter, hoc magis, illud minus, sicut actus amoris, quo quis alterum diligit propter Deum, esto & hominem diligit & Deum, inæqualiter tamen, magis Deum, minus hominem. Sic etiam dicunt Philosophi eodem actu visionis videri duos colores, vel in activitate inæquales, vel quorum alter est remotior, ibi ergo est manifestum, eundem actum posse inæqualiter ferri in duo objecta: quod etiam constare videtur casu quo quis eodem actu, qui simul fides esset & scientia respectu duorum objectorum, alterum per actum illum sciret, alterum crederet.

Quod si quis contendat voluntatem illam, quæ quis intuitu prototypi vult adorare imaginem, non esse adorationem internam, quia non est voluntas submittendi se tanquam servum imagini, vel quod non id faciat ex affectu solvendi id quod imagini debetur ex justitiâ, quæstionem fecerit de nomine, gratis enim dici videtur nullius submissionis notam esse adorationem, nisi illius, quæ sit animo submittendi se tanquam servum, aut ex affectu solvendi debitum justitiæ, quæ vocatur adoratio in spiritu, aperire enim caput rei alicui, dare meliorem locum, genu ante illam flectere, sine dubio est aliqua submittio.

Licet verò possit imago adorari simul cum exemplari, non tamen potest simul cum eodem orari: Ratio est, quia adoratio terminari potest ad rem inanimatam, oratio verò nequaquam, sed ad solum principium intellectualem, quod potest preces percipere. Dices: Oramus totum Christum, caro autem Christi non est quid intellectuale. Respondeo, disparitatem esse, licet enim caro Christi non sit quid intellectualem, constituit tamen unum compositum eum animâ, quod compositum percipit preces tanquam principium totale quod, licet anima sola sit principium quo. Imago verò nec est principium formale exaudiendi, nec unum totale principium cum exemplari constituit.

Quod de Imaginibus diximus, eodem modo de aliis rebus sacris, calicibus scilicet, reliquiis, & sanctissimo nomine JESU dici potest, quæ omnia non propter se, sed propter personas, ad quas referuntur adorari possunt, semper tamen adoratio simul exemplari, vel re significatâ, ita ut adoratio prout ad illa terminatur sit relativa tantum, absoluta verò prout ad exemplar, & rem significatam.

Sancti autem ipsi cultu Dulia, non respectivo tantum, sed absoluto coluntur, ob dotes supernaturales, quas in se habent. Unde quamvis Crux adoretur latriâ materiali, & respectivâ, Beatissima Virgo tamen, etsi sola hyperdulia adoretur, perfectiùs tamen colitur, quàm Crux, quia internus servitutis affectus ad eam absolutè, & ultimè ob dignitatem Matris Dei, seu consanguinitatis cum Christo, & affinitatis cum totâ Trinitate dirigitur: sicut prorex habet sibi colatam à Rege quandam dignitatem, ratione cuius, cum natura rationalis sit, adorari & coli potest.

XVII. *Aliguis tam hanc controuersiam de cultu imaginis reducant ad quæstionem de nomine.*

XVIII. *Quævis adorari solum potest simul cum exemplari, non simul cum eo etiam.*

XIX. *Idem de istis dicitur nomine JESU, reliquiis, & aliis hujusmodi si dicendum.*

XX. *Sancti cultu dulia absoluto coluntur.*

Tractatûs de Divini Verbi Incarnatione  
Finis.



DISPUTA.